e-codices

Haustam que de lebete ferventi lavacro infudit
aquam. At ille cum clamore horrido: Oia mi,
kalt ist, kalt ist, ait. Cui ille ait: si adhuc
frigidum est, ego hodie si vixero tibi illud
calefaciabo. Et hauries adhuc ardentiorem
infudit. At ille bullientis aque fervorem
ferre non sustinens, oblitus contracture, citius
assurrexit, lavacro exiliuit, ad ostium re-
cludendum ut fugeret velociter currens
cum pessulo aliquamdiu luctatur. Sed et homines
ubi deceptorem vidit, titione semiardente
ab igne ducto tergi rapiens, grandes sine
numero nudo infregit // At Ekkehardus
turbam et voces in superiori domo audiens
acriter introrumpit cum tergi descendet teutonice
et romanice invectus est hunc cur falleret illu-
cur sibi ad pruriendum hominem non reservasset
intrepitus. Oia ille ait mi domne severe, tute
ei corniculum abmorderes, et plures quam
ego nunc illius ori infringeres. Crimine vero
longe aliud ageres, scelestum hunc vestitum
et saturum noctu ante deosculatum dimittes
quod ut te novi et hodie facturus es. Et ille:
o scurram ait furciferum, cum non licet michi
facere quod volo. Et ceteram huius partis. Castigatum
quidem vix hominem et ne facinus tale umquam
repeteret iurare coactum abire permisit.
Et quoniam hic locum aptum puto de Ekkehardo
sororis eius filio quem et ipse et Geraldus
docuerant severe rem arduam aggredior.
Quoniam cum tales viri aut nulli aut nunc rari-
ssimi sint discredi m vereor. Erat hic facie
adeo decorus ut inspicientes sic Iosephus
de Moyse scribit gratia sui detineret. Ut Otto
Saxonicus rufus de illo: Nemini umquam ait
Benedicti cuculla decentius insederat. Sta-
tura procerus forti assimilis equaliter
grossus oculis fulgorosus ut quidam ad Augustum
ait: Quia fulmen oculorum tuorum ferre
non possum. Sapientia et eloquentia maxime
aut consiliis nemini id temporis postponendus.
In etate florida glorie ut talis facture
vir humilitati proximior sed post ea non ita.
Quia disciplina cum qua nichil umquam par-
ticipii superbia habuit in ipso erat spectac-
ulo digna. Doctor prosper et asper. Nam cum
aput sanctum Gallum ambas scolas suas ten-
eret, nemo preter exiles pusiones quicquam
alteri nisi latine ausus est proloqui. Et quos
ad litterarum studia tardiores vidisset, ad scri-
bendum occupavit et lineandum. Quorum
amborum ipse erat potentissimus. Maxime in ca-
pitularibus litteris et auro. Ut apparet in
versibus formitis Galli quos fecit // de Templum

quod Gallus Gotzpertus struxerat almo
Hoc abbas Ymmo picturis compsit et auro.
Has ille litteras cultello concisas illic liniat.
In litteris autem studiose mediocres et nobiles
eque erudiebat. Quorum tamen numerosos Gallo
et aliis ad summum evexerat. Corporum plures
ipse vidit episcopos. Ut quondam Moguntie in
generali concilio cum consessum advenientes
intrasset, sex ei quondam discipuli, tres episcopi
assurrexerant et magistrum salutabant.
Et Willegisus archiepiscopus digito accitum
osculatus: Digne fili mi ait, et tu quandoque
cum talibus inthronizaberis. Cuius pedes cum
peteret, manum eius delicate exegerat. Et
quoniam preposterare fortunam hominis
prelibavimus, ad altiora eius acta veniemus.

Hadawiga Heinrici ducis filia sue-
vorum post Burchardum virum dux vidua
cum Duellio habitaret, femina admodum quidem
pulchra, nimie severitatis cum esset suis,
longe lateque terris erat terribilis. Hec quo-
ndam parvula Constantino greco regi cum
esset desponsata, per eunuchos eius ad hoc
missos litteris grecis apprime est erudita.
Sed cum ymaginem virginis pictor eunuchus
domino mittendum uti similime depingeret,
sollicite eam inspiceret, ipsa nuptias exosa
os divaricabat et oculos. Sic quod greco
pertinaciter repudiato, litteris post latinis
studente, Burchart illam dux multiplicat
dotatam duxit. Et cum iam esset decrepitus, thal-
amo ut aiebant secum nequaquam cubantem
in proprio moriens quibus non intacta in cog-
nita ut celebre est cum dotibus et ducatu
reliquit puellam // Hec sanctum Gallum vidua
orandi aliquando petiverat causa. Quam
Burchardus abbas festive suscepta utique
neptim domus cum prosequi pararet, ipsa se
alia dona nolle ait preter Ekkehardum
sibi doctorem si Duellium ad tempus concederet.
Nam cum portanarius esset de voluntate ipsius
ipsa cum eo pridie secreta condixerat. Quem
cum abbas ingrate quidem concederet et
avunculus dissuaderet, ille tamen nichilominus
quod petitus est facere pretenderat // Duellium
die condicto cum egre expectatus veniret,
ultra quam ipse vellet susceptum in conclave suo
proximum suum ut ipsa ait manu duxit ma-
gistrum. Ibi nocte et die cum familiari aliquando
intrare solebat ad legendum pedissequa,
foribus tamen semper apertis, ut si quis etiam
ausus quid esset, nichil quod diceret sinistrum
haberet. Illic quoque crebro ambos ministri
et milites principes etiam terre lectioni

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 199r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/de/vad/0070/199r)